

417

415

421

411

426

406

466

366

316

Ende

Anfang

402

ejus exultavit, dum: Magnificat, hymnum jucundissimum, decantavit, ex quo puer clausus in utero excitatus in jubilum assurrexit, et exsultavit, et hoc loco visitato rediit in Jerusalem.

Secundo creditur singulis mensibus transiisse de Jerusalem in Bethlehem, et ibi intravit speluncam, in qua huic mundo lumen aeternum effudit, Jesum Christum Dominum nostrum. Quantum autem gaudium in hoc loco habuerit, quis enarrare valebit? Loco enim indulgentiarum plenariae remissionis, quas alii peccatores ab hoc loco deportant, ipsa reportavit cum augmentatione meritorum plenariam animi illustrationem et consolationem. O, quam suavis et utilis commutatio!

Tertio singulis diebus loca sanctissima in Jerusalem et per circuitum visitare studuit. Mane enim, appropinquante aurora, communicata a Johanne in monte Syon Domini, cum suis virginibus exivit, et coenaculum illud grande stratum ultimae coenae ingressa contemplabatur immensa dona ibi humano generi collata, et mysteria profundissima intuebatur, sessionis filii sui deosculabatur locum etc. Et inde progressa domum Annae intravit pontificis, et ibi fusis precibus Caiphae curiam ingressa non absque moerore considerabat filii sui in eadem domo molestias perpessas. Deinde de monte Syon civitatem egressa montem Calvariae ascendit, et accedens rupem crucis ipsamque complexa dulcius deosculabatur, compassa dulcissimo ibi Crucifixo, et congratulabatur non minus dulcissimam devotionem redemptis. Ex inde hortum monumenti Domini ingressa ad (154 A) locum venit, ubi corpus Domini sui et filii inunctum fuit et aromatibus conditum, et ibi prostrata lapidem osculo deosculabat, et citius inde surgens ad monumentum Domini venit, et specum ingressa tumulumque complexa ineffabili gaudio ibi replebatur. Ab his vero locis semota de monte Calvariae descendit contra civitatis portam, et in via non immemor filii sui, quando per eam gravi cruce oneratus fuit eductus, et in locis, ubi viderat filium vel sub crucis onere cadere, vel aliqua singulari injuria vexari, prostrata orabat. Et ita urbem per portam judiciariam ingressa, in praetorium Pilati ascendit, et loca flagellationis et coronationis deosculata gratias egit. Et egressa in domum Herodis

